



Kern 253 (1-20)





DE  
**FONTICVLIS  
EORVMQVE EFFECTIBVS**

---

CONSENSV  
GRATIOSI ORDINIS MEDICI  
IN REGIA FRIDERICIANA

P R A E S I D E  
**D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO**

FACVLTATIS MEDICAЕ SENIORE ET H. T. DECANO, ETC.

PRO  
**G R A D V   D O C T O R I S**

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS  
AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS LEGITIME CAPESSENDIS  
A. D. XXVII. IANVAR. MDCCCLXXXI.


H. L. Q. S.  
PVBLICE DISPVTABIT

A V C T O R  
**IOANNES CAROLVS SCHOENERMARK**  
RATENOVIA - MESOMARCHICVS.

HALAE MAGDEBVRG.

T Y P I S   S T E P H A N I A N I S.







## PRAEFAMEN.



**V**ulcera diversae indolis, variis in partibus Corporis Humani a natura sua saepius sponte produci, beneficio eorum, quidquid fere mali aut corrupti intus reconditur, expelli, &c., quamvis cum incommodo, aegros tamen a grauioribus malis interdum liberari ac immunes redi posse, quotidiana testatur experientia.

Imitamus nonnunquam naturam, *vulceribus, arte produtis;* sed mollior aetas nostra illa respuit praefidia, quae *Veteribus* frequentius in *vsu* fuerunt. Et si, quod res est, dicam: acerbum omnino videtur, ferrum candens cor-

A

pori

Prefamen.

pori admouere, ac more Veterum a), igne in illud saeuire; etsi duro necessitatis telo quandoque cogamur, ad illa, quae et medicamenta, et ferrum, et ignis sanant, refugium petere. Haec quidem ex mente HIPPOCRATIS b), qui mala, quae ignis non sanat, insanabilia aestimauit, variis in locis repeatit c); nam, qui suppurati, inquit, aut hydropici vrununtur, aut secantur, bi pure, aut aqua acervatim effluente, omnino moriuntur; etsi ulcerationem, in hydropicorum corporibus enatam, difficultiamadmittere sanationem, iure praedicauerit, cum cuius etiam auctoritate omnes fere Medici consentiunt, atque pronam eortim ad corruptionem indolem testantur. Interea ulcerationes externas pedum, per quas in hydropico milite, quadragenario, per sex circiter menses, ingens quotidie ad libram vnam alteramve accedens, seri lymphalis quantitas effluxit, salutari euentu contigisse, multumque ad sanationem hydropis contulisse, rariori quodam in casu didicit ILLVSTRIS PRAESES. Quum enim intuitu status hydropici, ascitici, ad summum fere perduci, de perforatione & euacuatione aquarum cogitaretur: ferramentum admittere noluit, sed iuncta speciali medendi ratione d), ipsam, quam natura monstrauit, viam se-  
quu-

a) CELVS de Medicina Lib. 7. pag.  
m. 464. 465.

b) HIPPOCRATES Sect. VIII. aph. 6

c) Sect. VI. aph. 27.

d) Conf. Cl. I. F. W. BOEHMERI  
Specimen de secura hydropem ja-  
nandi ratione Göt. MDCCXXIX.

*Prefamen.*

quutus fuit, insimulque tonicis & exsiccantibus lenioribus metuendam facile suspectam inflammationem auertendam curauit; quibus etiam factum fuit, ut in gratiam cum sanitate redierit, posteaque functionibus & exercitiis militaribus, sicuti in statu sano, subeundis, par fuerit. IDEM quoque in hydropica, viginti quatuor annorum, pedibus valde tumidis, more Arabum, profunde instituendas curauit scarificationes; sed, quamvis res feliciter cesserit: noluit tamen ob summam tam vulnerum, quam vicerum in eiusmodi subiectis sanationis difficultatem, aliquoties obseruatam, eandem repetere. Praeterea aliquot notauit exempla, in quibus, enato sponte externe in pectore abscessu notabili, eoque aperto, magna materiae purulentae quantitate eliminata, plenum antea per plures annos pectus, ratione tussis humidae & mucido-purulentae, anhelosae respirationis aliorumque symptomatum, phtysicum statum mentientium, suspectum, huncce praecipue naturae beneficio malum chronicum sanatum fuit. Notarunt recentiores quidam, teste Cel. b. m. BRENDÉIO, singularem aliquem, quamvis palliatuum, effectum deriuatorium materiae vlerosae a pectore ope setaceorum in vera phtisi. Antiquitus iam *epispastica*, in quibusdam pectoris morbis, admodum proficia visa, laudata & commendata fuerunt.

A 2

Dum

e) Lib. 4. cap. VII.



*Præfamen.*

Dum nimirum CELSVS e) de *περιπνευμονίᾳ* egit, eiusque conditionem ex CAELII AVRELIANI & ARETAEI mente descripsit, commendauit *salem bene contritum cum cerato commixtum*, eoque impetum materiae, qua pulmo vexatur, evocauit; hinc vtile atque proficuum *ex his*, quae materiam trahunt, malagma *vſu probauit*.

Neque desunt nostris temporibus plures, qui in pleuride & peripneumonia dolenti parti adiplicant *vesicatorium*, a quibusdam satis laudatum, ab aliis rursus culpatum. Haec & alia, quae collegi ex obseruatis ILLVSTRIS PRAESIDIS, cum per annum tempus eiusdem exercitationibus clinico-examinatoriis interesse mihi licuit, me impulerunt, *Speciminis solemnis loco*, nonnulla de fonticulis eorumque effectibus differere. Faciam igitur periculum, &, quae necessaria erunt, pro praesenti instituto complectar. Argumentum hoc duabus Sectionibus commode absolui posse, iudicai. In priori igitur praecipua de fonticulis praemittam; in posteriori vero eorum effectus exponam. Adsit hisce conatibus Supremum illudque Benignissimum Numen!

SECTIO



S E C T I O P R I O R .  
D E  
F O N T I C V L I S .

§. I.

Vleusulum, in superficie corporis humani arte productum, *fonticulus* dicitur, ex quo tanquam ex fonte, mixta & corrupta etiam, suppurationis more, emanare solet materia. Antiquioribus a) imo etiam quibusdam inter nostrates b) *cauterii* nomine venit.

§. II.

Quidquid igitur in genere valet de vlceribus, valere etiam debet de *fonticulo* (§. I.). Quum enim humor diuersae indolis, acrimonia & corruptione plus minus gaudens, vlceri inexistere possit (per exper.): *vlcusulum* etiam *artificiale*, vel *simplex* c), vel *compositum*, &, si *compositum*, *qualificatum* quoque esse poterit (per princ. chirurg.).

A 3

§. III.

- a) Legatur *CAPIVACCIVS* de *resta Operationum administratione*.
- b) Sic *Gallis*, ita dicendi mos est; sed *Kautrieger*, proprie sic dictum, anterioribus limitibus continetur.
- c) Cel. *CALLISEN* in *Institutionibus Chirurgiae hodiernae* §. CXXVIII.

pag. 36. *fonticulum* nominat *vlcus simplex*, *integumentis communibus* in loco opportuno arte *inductum*; ad signa vero, quibus *simplex vlcus* illustrat, refert potissimum, quae cum materia abscessus laudabili optime conueniunt; dum nimurum l. e. §. DCLXVII.

## §. III.

Quum *vlera* partes molles *exsangues* d), *cellulosas* ac *adiposas*, potissimum infestare soleant (per exper.): *fonticulo*, tanquam

DCLXVII. pag. 415. *vlcus*, inquit, *simplex cognoscitur ex sede in textu celluloso, superficiali, pure laudabili, coloris ex albo flauescientis, spissi, pulvis mollioris consistentiam habente, inodoro, blandio, haud copioso, fundo aequali, coloris ex albo rubefcentis, parum dolente: hinc ex Ipsi sententia nullum inter *abscessum* & *vlcus*, praesertim ratione materiae, foret differentia; quamquam B. HEISTERVS. *Instit. chirurg. Part. I. L. V. C. I. §. III.* pag. 375. *abscessus esse quasi prima principia ulcerum*, asseruerit. Optime monstrauit B. IVNCERVS, falsum esse axioma: *vbi pus, ibi vlcus*; cum in puris efformatione tota differentia *ulceris* ab *apostemate* fundatur. Vid. *Conspectum medicinae theoretico-practicae*, Tab. XXXIV. de *phthisi*, pag. 297. In quantum igitur *fonticulus* recens est, riteque in loco opportuno excitatus, fundit post transitum inflammationis in suppurationem, pro ratione mixtionis humorum, materiam, plus minus laudabilem,*

& pro diuersitate cauſarum, tam internarum, quam externarum, perpetuo irritantium, ad modum suppurationis, ad partes *exsangues* allicit humores, potissimum alienos & corruptos, lentoque gradu successive transit in *vlcus complicatum*, quatenus ex sententia CALISENII l. c. p. 416. illud originem trahit ab *acrimonia interna*, varia *cauſa* externa, *vestigata* etc.

d) B. IVNCERVS *Instit. chirurg. Tab. XXXIX.* per partes *exsangues* molliores, a sinceri sanguinis commercio alienas, intellexit. Dum enim in sanguineis partibus *abscessus* contingunt: vi vita agilio-re pro auertenda sideratione, particulae sulphureae subtrahuntur, relictis languidioribus, & in pus convergis. Conf. eivs *Tab. VI.* de *abscessibus* pag. 65. Quo magis vero in *ulceribus*, etiam artificialibus sanguinis accessus cohibetur & viuidus influxus impeditur, eo minus contingit consolidatio; præprimis, si corpore irritante humores ad affluxum

&amp;

quam vlceri artificiali arte excitando, propriam & opportunam sedem tela cellulosa praebere debet. Hinc b. PLATNERVS e)  
optime, ait, excipit haec vlcera artificialia tunica adiposa, quae  
inter muscularum carnes media est, & has inter se jungit; idem-  
que confirmat CALLISEN f), quando idoneum in vniuersum dari  
indicat ad fonticulum excitandum locum, ubiunque cutis muscu-  
lorum maiorum interstitia tegit, multo panniculo adiposo repleta,  
& notabilium nervorum vasorumque decursu libera.

§. IV.

*Commodus*, in quo fonticulus excitari debet, locus (§. III.),  
pro diuersa eligitur medentis ratione. Membra visitata extremitates sunt; minus visitata caput & ceruix. In genere notamus,  
*medium inter muscularum locum*, motu destitutum, digito prementi  
faci-

& effluxum perpetuo solliciten-  
tur, variaeque indolis materia,  
praesertim aquoso-salina, cum  
pure etiam remixta, adsit, cor-  
puscula submucida, quae re-  
stitutionem solidorum praestant,  
absummat impeditaque. Per-  
git b. m. *Vir Tab. cit. pag.*  
245. Exemplum huius rei fonticuli  
exhibent praestansimum. Hi  
enim, quamdiu in parte exsanguis  
debita ligatura conseruantur, per  
longum tempus leni sua fluxione  
durant. Quam primum autem pro-  
uida delegatione musculo, proxime  
posito admoventur, loco consueti

ichoris, statim pus fundere incipi-  
unt cum dolore inflammatorio, fa-  
tis subinde sensibili. Vnde pre-  
ter voluntatem nostram facilime  
confundantur. Qua in re PLAT-  
NERVS quoque consentit, dum,  
si vlcus, inquit, super ipsam car-  
nem excitatur, illud frequenter  
vel aridum sit, vel inflammatione  
cingitur. Et sic quidem inter-  
dum cogimur, consolidato priori,  
aliо in loco eoque opportuniори,  
nouum excitare vlciculum.

e) *Institut. Chir. rational. §. 927.*  
pag. 601.  
f) l. c. §. CXXIX. pag. 36.

facile cedentem mollemque, *partim* ex ipsius membra motu, *par-*  
*tim* tactu, cognita partium structura, diiudicari optime posse.

## §. V.

Sic quidem in *brachio* (§. IV.) locus determinatur inter musculos deltoideum & bicipitem medius; in *femore* in interiore eius parte supra genu, vel quod idem fere est, quatuor supra genu digitorum, obseruando ibidem sinum, vel aliqualem foueam, musculos inter vastum internum & gracilem; in *inferiori cruris parte* ad gastrocnemii interni latus, in distantia circiter trium aut quatuor digitorum a genu, & digiti circiter vnius a tibia, vel, sicuti PLATNERO g) placuit, *ad quartum digitum infra genu inter musculum solaeum & gastrocnemium externum*; alia ut taceam loca, praesertim, si in *noxis grauioribus ac pertinacioribus*, pluribus interdum opus esse videatur. *Nucha* h) locum opportunum praebet medium

g) *I. c. §. 932. p. 605.*

h) Meminit horum HEISTERVS *I. c. P. II. Sect. I. cap. XXII. §. IV. pag. 471* & de fonticulis futurae coronalis ex antiquioribus & recentiorum monumentis, vñi confirmatis, egit *Sect. I. II. cap. XXXVIII. §. 515. seqq. nec non Sect. II. L. V. §. XII. pag. 602.* Et quamvis in desperatis quibusdam morbis opportunior locus nucha esse videatur: sedes ramentum, in cervice indicata, rarissime molliori nostro aeuo in vñum

vocatur; in capite autem remedium fere plane esse deficit. In graui apoplexia cauterium plantis pedum adpositum, ex MISTICELLI *Traetatu de apoplexia* recenset HEISTERVS *Sect. II. cap. XXII. §. IV. pag. 471.*; sed spes, de illo concepta, B. Virum fefellit; licet eximium vñctionis vñum, ad mentem M. A. SEVERINI, in *Pyrrotechnia chirurgica*, in amaurosi magni omnino fecerit. Dicam paucis, quod res est. Locus in summitate admodum suffpectus

*De Fonticulis eorumque effectibus.*

medium inter axin & tertiam colli vertebram; *summitas vero cā-*  
*pitis*, vbi fons pulsatilis interdum relinquit depressionem, & sotu-  
ra sagitalis coronalem interfecat, per mensuram, debite obserua-  
tam, locum exakte determinat.

§. VI.

Solent vero *fonticuli* indicati §. V. in locis opportunis *di-*  
*uersa confici ratione*. i) Nonnulli cutem *ferramento* adurunt.

Idem

pectus videtur, pro grauitate  
mali eiusque cauillarum diuersi-  
rum igne in illum seuire velle.  
Quo propius enim origini durae  
matris pericranium est, eo facilius  
adfici laedique poterit ipsa dura  
mater. Lamina enim externa  
efficit pericranium darque pro-  
ductiones per interstitia ferrarum.  
Conf. ILL PRÆSIDIIS *Inßit. oſteo-*  
*log. § LXVIII. p. 32.* Hinc res  
diferiminis plena esse videtur.  
Ex ore B. HEISTERI, cum vixit,  
ILL. PRÆSES aliquores percepit,  
acerbum quidem semper dolo-  
rem eiusmodi fonticulos comi-  
tari, haud vero nimis depraedica-  
tam obseruari virtutem; licet in-  
dicato loco magni cauterium  
hoc fecerit.

i) CALLISENIUS *libr. cit. §. CXXX.*  
*pag. 36. fonticulum, indicat, ex-*  
*citari cutis incisione, vel etiam*

*cauterio, medicamento caustico,*  
*vesicatorio.* Potest cauterium in-  
rantum ad *epipatetica*, vi vocis  
*atrahentia*, referri, in quantum  
ducunt versus partem, cui adpli-  
cantur, copiam & humorum  
impetu; solent tamen pro ma-  
iori minorique ardore & acrimo-  
nia vocari, *aut phoenigmi, aut si-*  
*napismi, aut, si ab admotis epi-*  
*dermis instar vescae elevetur, ve-*  
*sicatoria.* Quum vero ab ignito  
ferro, vel caustico potentiali parti  
eschara inducatur, (§. VI.), &  
ratione modi agendi, ac factae  
externae murationis, a prioribus  
differat: ad epipatetica reliqua,  
in quibus epidermis integra manet,  
haud facile referri poterit.  
Praeterea fonticuli, a vesicatoriis  
diu ad applicatis enati, difficultam  
admitunt sanationem; quod  
sùb infiſione variolarum cum  
vesi-

Idem alii, sed longioris temporis interuallo, efficiunt, admotis debita circumspectione *remediis*, vim adurentem habentibus; donec super cutem *crusta* quasi adusta, Gr. ἐξίζηα dicta, adpareat. *Prius* remedium vetustum est (per antec.), interim efficax satis, atque intuitu dolorum, inde excitatorum exquisitorum & acutissimorum, summe astrium & reuulsorium; hinc in teneribus, mollioribus mobilissimoque systemate neruoso gaudentibus, vix ac ne vix quidem admittendum. *Poſterius* potentiale cautelarum mitius se gerit priori; hinc modum, hac ratione conficiendi fonticulos, non reiiciimus, cum plures sint, qui & ferrum secans reiiciunt, hac vero ratione, successiue facta quasi adustione, humores nocinos pedetentim, tollerabilibus sub doloribus, alliciunt. Neque enim audiendus *HELMONTIVS*, qui fonticulos non nisi ad discruciantos aegros inuentos esse, statuit. Dum igitur *cauſicūm potentiale* pedetentim operatur; effectui huic impetrando sex, vel octo sufficere videntur horae, praeſertim, si vel lapis infernalis, vel cauſticus Chirurgorum cum emplastro adhaerente, in medio perforato, externe parti debite admoueat, ita quidem, ut horum unum alterumue, leniter prius humectatum, in hoc foramen super cutem demittatur & aut linamento *carpto*, aut splenilo minuto, superimposito maiori, aut ampliori emplastro contegatur, arctiorique *fascia* comprehendatur, ac, seruata insuper debita membra quiete, firmetur.

## §. VII.

vesicatoriis factum fuisse, notauit *ILLVSTR, PRÆSES, & possibilis* est *Hyperdiureſis*, de qua legatur elegans docteque conſcripta

Dissertatio *Celeb. HARTMANNI, de Hyperdiureſi, ex peruerso cantharidum vſu externo orta, Traiecti ad Viadrum cœlocclxxx.*

supib[us] hoc exhibet or §. VII. lob p[ro]l[em] / 117 117 117  
Quamvis vero plures sint, qui cauterio potentiali aliquam  
praerogatiuam statuant; promissima tamen via & expeditissimus  
modus est, protinus cutem secare. Breui enim negotio, minimo-  
que temporis spatio, absque magnis cruciatibus res peragi pot-  
est soletque. Sic vulnus, quod capit magnitudinem pisi, cuti  
infligitur, ita quidem, ut pollice & indice manus sinistrae trans-  
versim attracta & eleuata cutis, mediante dextra, paruum Gallo-  
rum scalpellum tenente, acie eius sursum directa, protinus longitu-  
dinaliter discindatur.

§. VIII.

Quibus dextre peractis, tam adusta (§. VI.), quam incisa  
(§. VII.) replenda & curanda sunt. Facto quounque modo fo-  
ramine, optime pisum, (quamvis sint, qui huic globulum ligneum  
praeferant), cum vnguento digestiuo ipsi immittendum; supra  
datis emplastro, splenio, & fascia conueniente: nimirum in capi-  
te, sic dicta funda, in quatuor, vel sex capita divisa. *Eschara*,  
ad conuenientem magnitudinem & profunditatem caute inusta,  
digerentibus & emollientibus resoluitur, pisumque vel simile quid  
immittitur, ibidemque emolliente quodam foverur.

§. IX.

Expeditissimam methodum, haud adeo dolorificam (§. VII.),  
leniter cruentam tamen, sequitur *inflammatio* marginum, tumor  
lenis, suppuratio, atque ad eiusdem modum exulceratio (§. I. II.  
III.). Neque ab his immunis maner fonticulus, cauterio conse-

Etus (§. VI. VII.), magis dolens &, pro conditione loci modique fiendi, plus minus grauiora imo suspecta nonnunquam inducens symptomata. k)

## §. X.

Conuenit autem, *vleusculum* non perpetuo tantum alere irritamento (§. VIII.), sed & quotidie illud repurgare atque detergere. Fieri hoc solet nouo, in dies, pro circumstantiarum ratione, cum vel sine digestu, immisso piso, fascia, debite adstricata, in foveola sua rite detento. l) Vinetura tantum semel; in casu vero nimiae purulentae suppurationis bis, praesertim aestiu tempore, renouanda. Quam ob caussam ad opportunitatem loci quoque pertinet, talem, si fieri possit, partem eligere, cui homo commode sibi ipsi admouere possit manum, neque semper, intuitu purgandi & obligandi vleceris, indigere Chirurgo; hinc etiam, praeter fascias communes, propriae quoque, in extremis commode satis applicandae, ab Autoribus inuentae sufficient machinae m).

## §. XI.

k) Conf. annotata ad §. V.

l) Pertinet etiam ad apparatus de-ligatoriorum, varietas emplastrorum, & viridescentium, & rubicundorum, proprie huic usui definitorum. *Diachylon simplex adhaesivum* magis est. Neque defunt cerata. *Sparatrapum* ex cera alba liquefacta cum spermate ceri, addita parua olei amygdalarum dulcium portione, conficere dicereque so-

lent telam *Gauheri*, (germanice *Durchzug*); imo *hederae arboreae folia* huic quoque scopo inseruire videntur. Conf. HEISTERVS I. c. Part. II. Sec. I. cap. XIX. §. V. pag. 464.

m) Vid. SCVLTEVS *Armament chirurg.* Tab. XXXXIII. Lit. L. EASSIVS libello, von Bandagen, §. 16. pag. 213. 214. HEISTERVS I. c. Tab. XII. fig. y.

§. XI.

Quodsi forsan succus nutritius corruptus copiose depositus, abunder, vel acrimonia adsit, & ob quamcunque caussam, ob nimiam vasculorum relaxationem, iuncto perpetuo stimulo, stamina flexilia nimis elongentur atque extendantur: super vlcus *mollis & fungosa ex crescit caro.* Solemnis maxime est *eiusmodi ulceribus caro putris;* sed facillime deletur mercurio praecipitato rubro eoque in materiam mucumque conuertitur. Fortius agit *septicum,* si mercurio aequali portione addatur alumen ustum, & tunc quidem magis dolens fit fonticulus. Expectationi haud satisfecit lapis infernalis, qui exsiccando magis ad consolidationem disponit.

§. XII.

*Loci conditio consolidationi & coalescentiae fonticuli* fauere potest (§. III. not. d.). Quodsi igitur fonticulus superficiem inflammatoriam cum dolore sensibili, imo frequentius recurrentem eruationem retineat: coalitus vix impediri potest, haud vero prohiberi deber; interea inflammationes, quae initio a cultro vel caustico oriuntur, vel interdum fonticulis casu superueniunt, exposcunt discussionem & caussarum efficientium remotionem ac mitigationem (per princip. Chirurg.).

§. XIII.

*Vlcus eiusmodi artificiale,* nisi lateat ratio in loci conditione (§. XII.), qualicunque ex caussa *aridum* factum, *stimulo & irritatione* maiori opus habet. Obtinemus effluxum minoribus fructibus virideſcentibus immaturis aurantiorum, globosis & exſic-

catis, globulis ligneis, v.g. hederae & sassafras tornatis, vel radi-  
cibus gentianae & aristolochiae rotundae, vel globulis aliis ex  
ochra flava, radice iridis florentinae, cera & therebintina confes-  
tis. Quibus, nisi vim praestent exoptatam, vlcusculum puluere,  
ex herba Sabinae, addito pauxillo euphorbii composito, vel et-  
iam cantharidum pulviculo respergi poterit.

## SECTIO POSTERIOR. DE EFFECTIBVS FONTICVLORVM.

---

### §. XIV.

Proposita priori in *Sectione* re ipsa, quae varias in corpore humano producere valet mutationes: *actio fonticulorum & pen- dentes inde effectus* intelligi poterunt. Qua in re ea perlustranda sunt, quae in nostram peruererunt notitiam, aliorum insimul au-  
ctoritate confirmata; quo adpareat, num effectus praedicti a so-  
la fonticulorum actione oriuntur pendeantque? an vero plures  
simul coëxistere possint causae, quae coniunctis viribus *effectus*  
*orum* determinant? et, si plures, an causae in corpore viuo  
praesentes fuerint, vbi effectus datus productus fuit?

### §. XV.

*Mechanicam fonticulorum actionem*, pro ratione diuersae eo-  
rum formationis, optime diuidicamus, respiciendo *partim* ad ar-

ro-

rosionem, quam *causticum potentiale* exerit *partim* ad destru-  
ctionem partis solidae, in qua vlcus ope ignis fit; *partim* etiam  
ad solutionem continui, ope *ferri secantis* productam (§. VI.).  
Ratione igitur modi fiendi, dissolventis, destruentis, irritantis dif-  
fert quoque *effectus*. Certum atque euictum est, igneum praesi-  
dium, summae esse actiuitatis, acerbissimos in viuo corpore exci-  
tans dolores. Absit ut in genere cum HELMONTIO & qui-  
busdam Se<sup>t</sup>catoribus vsum *cauterii actualis* plane reiiciam, ut po-  
tius iustum ipsi statuam pretium, atque cum SEVERINO, in  
sua *Medicina efficaci*, efficacissimum praedicem remedium, quod  
alii etiam in Medicina & Chirurgia clari Viri, grauissimis ac diu-  
turnis in quibusdam morbis sese didicisse, testantur. Copiosum  
enim in vlceribus, igne factis, pus effertur, & quod ob exquisi-  
tum dolorem, iuncta in loco laeso eiusque vicinia inflammatione  
maiori, statim allicitur, nocia quoque, quae intus coiuerunt,  
nonnunquam secum rapit ducitque. Mitius quodammodo ope-  
ratur *causticum potentiale*, corpori admotum; dum non repen-  
tine, sed successiue inflammat, pedentem rodendo partem de-  
struit, escharam pariter inducit, & sic etiam dolore, quamvis  
tollerabiliore, adfluxum, suppurationis more, sustinet (§. VI.).  
Expeditissima etiam methodus (§. VII.) immunis a doloribus, quos  
tamen facilis aeger fert, esse nequit, &, quamvis ingratiae sen-  
sationes initio & post incisionem breui tempusculo peractam, mi-  
tiores quodammodo apparent; intuitu tamen effectus successiui  
in vlceribus, diu seruatis, *fonticulus*, hac ratione productus, ex  
parte cum antecedentibus, & praeципue caustico potentiali exci-  
tato conuenit. Erit itaque *effectus corporeus sensibilis, vi prae-*  
*sensis*

Dissertatio inauguralis medica  
sentis caussae productus, & determinatae potentiae, cuius vi  
existit. n).

§. XVI.

Etiam si *actuum* per se sit remedium (§. XV.): differt tamen *effectus* pro individuali ratione locique, cui adPLICatur, *conditione*. Dantur enim pro *temperamenti* atque *aetatis* ratione subiecta agiliora, sensibiliora, irritabilia magis, pigroria, torpidiora; intuitu *aetatis* & *structure* partium infirmiora, robustiora, boni malique habitus; imo in his loca, plus minus sensibilia & irritabilia. Poterunt igitur differre *effectus* vi propria & cursu variaque internarum & externarum caussarum successione, quibus per corpus mens insimul adficitur, actiuitasque diuersimode determinatur, incitatur, adiuuatur. Hinc nobilitas partis

mo-

n) In Praesamine dictum iam fuit, veteribus dirum remedium igneum placuisse. Hinc **HIPPOTATES** iussit, ventres pectoraque ferramentis candentibus pluribus exulcerate locis, & exulcerata seruare, de *internis* affectis. Sec. II. nec non **Secl. VI. aph. ultimo**, quibus, inquit, coxendicis morbo vexatis, coxa exedit, his crux tabescit & claudicant, nisi usci fuerint. Quam etiam ob caussam, humore quodam in articulo confluxo, os ex sede sua pedentem expellente, celebratur a **PAVLO ACCINATA**; ne quid dicam de

remediis aliis, quae cauſticis ac-  
cenſentur, nimirum aduſtione, per linum moxamque & goſſy-  
pium, priscis recentioribusque  
temporibus facta, ab Arabibus  
repenita, Chinensibus & Japonen-  
sibus vna cum acupunctura con-  
firmata, & celebri Gallo, CLAVDIO  
PAVTEAV renouata; cum ob sen-  
ſibilem admodum, quem me-  
dicina haec ignea praefat effe-  
ctum, etiam in compescendis do-  
loribus articulorum, atque remo-  
uenda cauſa eorum efficiente,  
ſaepius adhibita fuerit.

mobilitasque systematis neruci probe perpendenda, ne cum periculo periculum facias augeasque, sed in machina animali, ex solidis & fluidis composita, praecipue fluida inque illis mixtioniis abundantiam & corruptionem, leuiorem particularum cohaesionem, faciliorem secessum & possibilem inde per loca artificialia opportuna euacuationem respicias, insimulque mutationes, a recentibus & diu gestatis fonticulis inductas, probe distinguas; ut poterit quibus ducimur ad intelligendos *effectus* tam *externos*, quam *internos*, quidue intuitu *conservationis corporis* a grauioribus metuendis noxis, & *curationis morborum*, *fluidis* quidem inhaerentium, *solida* tamen simul adficiendum eaque irritantium, praestent *fonticuli*.

§. XVII.

*Externus fonticulorum effectus est species suppurationis* (Sect. I. §§. I. II.) moderataque humoris purulenti euacuatio; hinc in memoriam reuocentur, quae sub formatione fonticulorum adducta sunt (§. XV.).

§. XVIII.

*Internus fonticulorum effectus* §. (XVI.) immediate dependet a stimulo, modice irritante; quo sit, ut nocua praexistens acrimonia sollicitatione blanda a nobiliore loco ad ignobiliorem inuitetur, maior ad partem, successiue debiliorem factam, excitetur affluxus, & impuritas qualiscunque, videkvet viscosa, praecipue vero seroso-lymphalis, derivetur atque euacuetur, fortasse etiam

C

ali-

aliquid purulenti alibi resorptum, in tale vlcus iterum deponatur  
(§. XV.) o).

### §. XIX.

*Mediatus fonticulorum effectus internus, vel a diuerso corporis statu, vel morbi genere, vel modo fiendi ac irritationis, vel loco, in quo excitantur, alienatur (§§. XV. XVI.). Vnde facile perspicitur, pro eorum in subiectis diuersitate variare effectum syndromem, eo quidem notabiliorum, quo fortior atque validior irritatio in loco sensibili & irritabili fuit. (per prin. Therap. gener.).*

### §. XX.

Praecipua, quae fonticulis tribuitur, *virtus, evacuatoria, reuulsoria & deriuatoria* est. Sub *evacuatoria*, suppurationis modo, impurum & abundans corpori inimicum ex corpore eliminatur (§. XVIII.), massaque mouendorum in specie imminentur. Pari ratione *setacea* phthisicis interdum profusse legimus, & quantitas materiae variolosae, vel alias malignae, per *vesicatoria* imminui, horumque ope ad cerebrum deposita, ad loca inferiora deuolui potest.

### §. XXI.

Praeterea & *reuulsoriis & deriuatoriis effectus* (§. XX.) cum *evacuatorio* conspirat; hinc uterque a se inuicem haud se iungendus.

*Vel*

o) Conf. CALLISEN l. c. §. 134. pag. 37.

*Vel* enim liberantur vicina; *vel* impetus & affluxus aliunde euocatur. Priori in casu *effectus* erit *deriuatorius*; posteriori vero *reuuulsorius*. Si igitur *acre*, neruoso systemati adhuc inhaerens, in consolidatis ulceribus naturalibus, vel occlusis artificialibus deferatur ad intestina, *inflammationem*; deductum ad pectus *suffocationem*; ad cerebrum translatum, *apoplexiam*, *neruorum distensiones*, variosqne oculorum & aurium morbos, nec non in externis circa loca articularia decubitus, *mala*, inquam, *articulatio*, p), ipsa suppuratione mitigata, rursus producere valebit.

§. XXII.

Vterque effectus, & *deriuatorius*, & *reuuulsorius* efficit, ut a fonticulis morboſi motus *vel* mitigari & sedari; *vel* excitari *accidentaliter* possint. Hinc, si quis *fonticulis* virtutem *sedantem*, & ob irritationem *excitantem* adscribere velit, perinde nobis erit; cum a *prioribus* (§. XXI.), iuncta insimul *virtute evacuatoria* (§. XX.), dependant. Quodsi *fonticuli* *dixi gestati*, *vel* immimentibus, *vel* praesentibus morbis exficcari incipient, aut exficiati sint: in medendo ad mouendum fluxum eumque conseruandum respiciendum, imo in aliis affectibus, a sanatis fonticulis recurrentibus, via noua paranda, eaque eligenda, quam natura ipsa interdum indicat atque monstrat, optimam & suo modo *criticam*. Nam, teste B. GAVBIO q) naturae obseruatio & initatio, ut primam arti originem, ita incrementa dedit dabitque porro. Sedamus morbos conuulsuos in epilepsia, motumque & sensibili-

C 2

litatem

p) Conf. not. n. ad §. XV.

q) *Instit. Pathologiae* §. 18. pag. 7.

litatem quandoque in apoplecticis ac soporosis reuocamus, materia peccantem suspectosque humores *actiue deriuando & repellendo*. Roboramus corpus modice irritando, detracta & ex corpore eliminata materia, varias afflictiones, easque diuturnas, induente; & sic tuemur sanitatem, ac, pristino eius statu restituto & effectu materiae nocuiae *iminuto*, partes a stimulo morbo, antea perpresso, liberamus, & ad functiones rite subeundas rursus disponimus, caussamque tollendo, successiue *indirecte roboramus*. Nihil igitur impedire poterit, quo minus hac sub conditione *recentes foniculos* consolidari rursus & occludi posse, statuimus.

### §. XXIII.

Quodsi, legibus Therapiae rationalis postulantibus, ad *materiae morbo* sae indolem rite attendamus: Pathologia generalis in memoriam nobis reuocat, *fluidorum secretorum decubitus* fieri posse; quid quod pro ratione quantitatis, mixtionis motusque, varia nobis sisit morborum schemata, quorum ex classe potissimum ad copiam & intensiorem fluiditatis humorum, nec non ipsis inherentis principii salini, aequae ac viscidii, partes solidas simul relaxantis, gradum, ideoque ad species *dyscrasiae*, relatae, *partim* ad tenuitatem, *partim* ad acrimoniam, *partim* etiam ad visciditatem, Medicum *animum* aduertere oportet.

### §. XXIV.

Haec vero mala humorum mixtio indeque orta *corruptio*, eorumque ad certam saepiusque nobilem corporis humani *partem*

tem determinatio, optime intelligi poterit tam ex propriis signis atque effectibus, quam ex comparatione status antecedentis cum praesente, imo ex caussis occasionalibus, nec non, quod omnium difficillimum, ab aestimatione mutuae habitudinis indutius dualis, partium solidarum & humorum ad eas pertinentium ac pertingentium.

§. XXV.

Nimirum in *fluido vniuersali*, heterogeneo, varia latent, quae, diuersis destinata visibus, separantur, retinentur, & excernuntur, hancque ob caussam corpus nostrum facile corruptioni obnoxium foret, nisi ipsa natura perpetuo motu progressivo & se-ac excretionibus, rite succendentibus, damnum auerteret (per princ. phys.). Sed nascuntur in nobis tam salubres, quam insalubres caussae, homoque versatur inter res innumeratas, sua singulas agendi potestate praeditas, multum variantes, debitumque mixtionis statum peruerentes. Ortae inde *dyscrasiae* non solis semper praeidiis, ex fonte pharmaceutico & diaetetico petitis, mederi possumus, sed in casu peccantis acrimoniae, tenuitatis nimiae, imo etiam viscosae cum acri iunctae, opus interdum est adminiculis *chirurgicis* & ex his quoque *fonticulis*; quibus pertinaces translationes ad loca nobiliora auerti, iunctisque simul internis, diuersae species *cacochymiae* corrigi valent. Quae omnia tamen iudicio Medici relinquenda, &, in quantum in *vniuersali* statu *cacochymico* aliquid boni ab usu *ulcerum orificialium* expectandum sit, committenda.

§. XXVI.

## §. XXVI.

Sed possunt etiam *massae seroso-lymphatici*, a latice sanguineo separatae, & puriora, & impura in specie inexistere (per exper.); hinc non contradicit, ex illa, citra notabilem sanguinis concursum, *vicerationes subnasci*, quas dicere amant *simplices*; ex *stagnatione vero seroso salsa*, et si nonnunquam in viscidum & mucidum degeneret, ac lentescentes obstipationes imo extrausationes producat, *sic dictas complicatas. r.*

## §. XXVII.

Haud omnes vero ulcerationes *causam semper uniuersalem* (§§. XXV. XXVI.) agnoscent; cum a peruersa therapia externa *vulnus & abscessus*, optimae indolis, in *ulcus* facile converti possint, quod in vicino laesae partis loco *cachexiam particularem* inducit s), atque summam interdum efficit sanandi difficultatem (per exper.).

r) Ex his omnino *compositi* producuntur *effectus*, a quibus illi non excludendi, qui intuitu inquinacionum, omnium pestissimarum, a corruptione specifica *substantiae sanguineae & lymphatico-salivaris* proueniunt, & provenire, cancrosi affectus testantur. Sic, diverso habito respectu ad sanguinem ipsum, qua talem, humoresque separatos, latex hic, striete sic dictus, corruptioni putridae agilissimae citissime obnoxius evadit, teste sphacelo. Hunc ratione sensibilis eiusmodi effectus, proxime excipit lym-

pha serumque lymphale; praecipue aurem saliva, quae alios inter humores, paucis tenuibus, cito sed non copiose fermentantibus, iisque exhalatis, vappidam, lenram atque tenacem relinquenteris materiam, constat particulis Sperma, viscidus humor, ad salinam inclinat corruptionem; imo lac ipsum, blandum & dulce naturaliter, erodentem ac salinam induere potest naturam.

s) Conf. B. LUDWIGIVS *Instit. Pathologiae* §. 979. & *Instit. Chirurg.* Part. I. Tr. IV. §. 464. seqq. pag. 155.

exper.). Quamuis vero hoc in casu totum sanationis negotium absque vsu internorum absolui possit; priori tamen plus valet Therapia interna. Interea quoque fallunt illi medentes, qui, suborta aliquali medendi difficultate, statim ad statum cacochemicum, tanquam asylum ignorantiae, prouocant; cum potius scire oportuisset, & *aeratis & temperamentorum rationes* interdum concurrere, ac medendi difficultatem plus minus augere posse. In *iunioribus* enim, aequa ac *agilioribus* vulnera vlceraque citius sanantur, quam in *adulitoribus, senibus, sanguinets & phlegmaticis.*

§. XXVIII.

Haec omnia ad *casus specialiores* reduci possunt; Therapeutae vero iudicium maxime accidunt, quo cognoscant, majori circumspetione tam in *cacochemia corrigenda* selectu praefidiorum necessariorum opus esse, quam in diuerso statu dyscrasiae humorum vnicum & praecipuum in vlceribus artificialibus, sed miserum saepius querere solarium. Quodsi igitur temporis successu animaduertatur, frustra, ceu saepius contingit, excitatos fuisse fonticulos: factum eiusmodi vlcus secure consolidandum t). Contra ea ardua omnino res est magna que circumspetione opus, ne in consolidandis diu iam *gestatis fonticulis*, praesertim in iunioribus, accumulata, vel retenta materia intus abscedat. Ratione-

t) Vid. HEISTERVS l. c. §. VI. pag. 461.

tionalis Medicus, ad motuum oeconomiam attentus, obseruabit, saepissime ulcerationes externas natales ducere a caussis internis tacitis, quibus grauiora *critice* quasi praecaudentur mala. Si igitur impatiens aegri & improvidi Medici ac Chirurgi eiusmodi vicuscula glutinant, & forsū cum incommodo antea perpeſſa, more vſitato, saturninis exſiccant atque materiam depositam re-pellant: idem & maior interdum extimescendus & expectandus effectus, quam a scabie ſimilibusque retropulſis exulcerationibus cutaneis u).

## §. XXIX.

- u) Notavit ILL. PRÆSES in quinqua genario litterato Viro, a consolidatis pedum ulceribus, breui post subfucatam suffocationem, in Iuuenie ſedecim annorum, optimae ſpe, ab exulceratione cutanea, ſub axillis saturnini traſtata, anginam ſuppuratoriam cum ſuffocationis periculo, qui tamen excitatus rufus ſub axillis ope cantharidum ulceribus, iunctis neceſſariis aliis præſidiis, priftinae reſtitutus fuit ſanitati. Nuper quoque in Viro Iuuenie, virginis quatuor annorum, vitæ fedem- riae maxime addicto, ortam a retropulſis ulceribus pedum gra- vem haemoptysin animadvertit, quae, cum optimis ceteroquin præſidiis, v. g. venaefectionibus, alvum ducentibus, temperantibus, moderantibus & traumaticis

fanari non poterat, ſed ſaepius & breui quidem interuallo re- currrens, ſubitam ſuffocationem minabatur, ſolo fere fanticuli, in pede excitati vſu ſanata fuit. Confirmat hoc eiusmodi ceuſtas, a Pathologis adnotatas. Sic B. NIETZKI *ELEM. PATHOL.* vni- uerſ. §. CLXXX, extravafatio, inquit, *morbis erit, cuius cauſa proficietur vel a flido ipſo modo arrodeniente uafa, modo tantoper congeſto, ut illa ad ſuę ruptionem perueniant, fine etiam illorum orifi- cia nimium diſtendantur etc.* Amor- fiones pulmonum, tanquam effe- ctus retropulſae scabiei, frequen- tius occurrent in praxi; ne quid dicam de scabie capitis retropulſa, quae morbos mentis, praefer- tim oculorum aliosque pericu- loſos producere valet.

## §. XXIX.

Quodsi vltierius spectentur variis morbi serosi, ex *dyscrasia & decubitu* humorum orti; quodsi in his notentur molimina naturae: praeter indicata monemus, haud spernendum esse *fonticulorum* in variis capitibus, oculorum, aurium, pectorisque affectibus *vsum*; cum ope illorum deposita materia, per impetum quasi euocari possit. Hinc egregie quoque in pertinacibus humorum ad certa loca, rheumaticis & arthriticis conducunt affectibus. Exemplum sifit *arthritis suppuratoria*, quamvis rarius occurrat. *Vlceribus naturalibus*, diu gestatis, artificiales substtuere oportet; imo in *hydropo articulorum & sic dicto fungo*, v) interdum aliquid sperandum. Interea in *decubitu* humorum diu *perpresso*, & a quo partes in vicinia nimis relaxatae sunt; *fonticuli* prodesse vix poterunt; quam etiam ob caussam in *lippitudine oculorum inueterata & senili* nullius effectus esse obseruantur w). Deinde multa quidem de vsu fonticulorum in vertigine, apoplexia, epilepsia, affectibus soporosis, amaurosi, memoriae debilitate &c. praedicantur; quum vero indicati morbi non semper agnoscant accumulatos forsitan, plus minus irritantes humores, sed saepius fonticas, partibus solidis profunde interdum inhaerentes caussas (per exper.): *limitati* etiam in his a *fonticulis*, quauiscunque ratione confectis, *effectus* expectandi sunt. x).

## §. XXX.

v) CALLISEN Lib. cit. pag. 131. 136.

w) Conf. quae dicta sunt §. XV.XVI.

XIX. & Dissert. B. HOFFMANNI  
de fonticulorum vsu medico  
Halae MDCCXXVIII.

x) Conf. SOLINGEN Oper. Chir. P. I.

c. I. FIENVS I. III. de *Cauteritis, SEVERINVS. Pyrotechn. Chir.* I. II. c. XI.  
HEISTERVS l. c. P. II. Seqq. II. Cap.  
XXXVIII. §. I. seqq. pag. 516. 517.

## §. XXX.

Sicut igitur pro diuersa morborum conditione & grauitate, vnicum, vel nonnunquam plura, qualicunque arte, confici solent debentque *vltuscula* (§. V.): ita quoque prospiciendum, ne *incommodum*, a *fonticulo* forsan expectandum, sit ipso morbo gravius; id quod in leuioribus affectibus inque illis in usum statim tractis fonticulis euenire poterit. Diu gestata & vetustatem adepta vlcera non sine vitae periculo conglutinantur (per anteced.) ; qua propter *consuetudinalibus* ejusmodi *excretionibus* in medendo effluxus concedendus & sustinendus. Solent enim imminentibus & praesentibus morbis sponte exsiccari (§. XXIII.), &, si *fonticuli* in margine liuido-nigricantes adpareant, prodromum interdum mortis exhibere; quemadmodum *signum hoc* inter *moris* indicia suo iam aevo retulit CELSVS z).

## T A N T V M.

z) *Lib. cit. 2. Cap. 6. pag. 59.*



WOLP

PICA



DE  
FONTICVLIS  
EORVMQVE EFFECTIBVS

---

CONSENSV  
GRATIOSI ORDINIS MEDICI  
IN REGIA FRIDERICIANA  
P R A E S I D E

D. PHILIPPO ADOL

FACVLTATIS MEDICAЕ SEN

P R  
G R A D V D

SVMMSQVE IN ME  
AC PRIVILEGIIS DOCTORALIE  
A. D. XXVII. IANU.

H. L.

PVBLINE D

A V C

IOANNES CAROLVS

RATENOVIA - ME



HALAE MA

T Y P I S S T E P

